



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio III. De testibus, & Credulitate, & singularibus; & restibus inter se,  
vel sibi ipsis contrariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

monialibus, ubi agitur de valore matrimonii, quia in hoc casu vertitur periculum anime, in illo casu publica vindicta juramentum exigit, prout etiam publicum bonum tale juramentum exigit, si agatur de beneficio Ecclesiastico.

## §. III.

*De forma & modo, quo testes deponere debent, & quomodo delicta occulta per testes probari possint?*

**T**estes presentes quidem in loco iudicii testimonium rogati, & à partibus producti deponere debent, non tamen in scripto, sed vivà voce, de his, quæ aliquo sensu corporeo perceperunt, prout habetur in *Can. Testes 15. Caus. 3. q. 9. juncta Gloss. V. Qui noverunt* (ut Judex scilicet cognoscere possit, quo vulcu, quâ constantiâ vel trepidatione &c. testimonium deponant) nisi consuetudo, aut necessitas aliud jubeat.

Delicta occulta, uti est fornicatio, adulterium &c. probantur quidem per testes juratos, sufficit tamen, si deponant de auditu, & de indicis, quæ criminalia comitantur, vel præcedunt, & communi famâ adjuventur, ita tamen ut pro diversitate circumstantiarum, aut causæ major vel minor probatio sufficiat; multum tamen hac in re, quæ evidenter probari non potest, Judicis arbitrio relinquatur.

§\* \* §

## SECTIO III.

*De Testibus, de Credulitate, & singularibus; & testibus inter se, vel sibi ipsis contrariis.*

## §. I.

*An, & quam vim probandi habeant Testes de credulitate?*

**T**estes, qui non deponunt, quod rem sciunt proprio sensu perceptam, sed quod credant ita se habere, eò quod à Viris fide dignis audiverint, dicuntur testes de credulitate, quibus etiam si plures eorum sint, qui taliter jurati deponunt, fides tamen plena non habetur (quia testis de sua non de alia scientia deponere debet, de illis scilicet quæ ipse vidit, vel audivit, non de illis, quæ ex aliorum relatione didicit, quæ depositiones multis plerumque conjecturis, quibus periculum fallendi subest, nituntur) etiam si fama publica cum tali depositione concurrat. *Tam literis 33. h. t. juncta Gloss. V. de audiu.* Admittuntur tamen etiam testes de credulitate eorum, quæ ex aliis audiverunt, ad fidem aliquam faciendam in casu necessitatis, si suæ credulitatis rationem reddant; in causis quæ directè probari, & certè cognosci non possunt, ad probandam rei innocentiam, si concurrant alia adminicula, præsumptiones, vel indicia; si deponant super factis antiquis, ætatem hominum de factis viventium excedentibus, si deponant de illis, quæ facta sunt tempore pestis; si deponant ad probandam consanguinitatem, vel affinitatem &c. saltem si agatur ad vitandum

tandum peccatum, & conditiones requisitas in *c. Licet 47. h. t.* habeant, ac deponant ab eadem persona, & quidem eodem loco ac tempore &c. audivisse se; in quibus casibus, si non in omnibus plena fides ex talium testium depositione habeatur, potest tamen infamato, & contra quem taliter depositum est, indici purgatio canonica, uti patet ex *cit. c. Tam Literis &c.*

## §. II.

*De Testibus singularibus; eorumque probatione.*

**C**ontestes in hac materia dicuntur illi, qui unum idemque factum testantur, singulares verò testes dicuntur illi, qui de diversis factis testantur; & hæc testium singularitas alia est adversativa, si dicta eorum testimonia, vel depositiones in se repugnent. Alia est diversificativa, si testes deponant de factis non contrariis sibi invicem, sed diversis & nihil se mutuo juvantibus, prout factum est in casu *Capituli Cùm tamen 16. h. t.* Alia denique testium singularitas est cumulativa, sive admniculata, si deponant scilicet testes de actibus diversis, se mutuo tamen adjuvantibus, quia depositiones talium testium diversæ quidem sunt, ad eundem tamen finem tendunt, ut si de possessione agri sit quæstio, & testetur unus vidisse se Titium seminasse agrum talem, alius verò testetur vidisse se, quòd Titius hunc ipsum agrum messuerit. His notatis.

Certum est primò, testes ut plenam fidem faciant, non debere esse singulares, contraria, vel diversa prorsus testificantes, sed debere esse contestes de uno eodemque facto in specie testificantes,

prout habetur, ex *c. Bona 23. de electis ex c. Cùm dilectus 32. eodem. junctâ Glor. sâ. V. Probatio. & ex cit. c. Tam Literis junctâ Glor. sâ. V. soli.* Ita ut non tantum in substantia delicti convenire debent testes, sed in tempore etiam & loco, ut plenam ad condemnandum reum puniendum pœnâ ordinariâ fidem faciant. Possunt tamen magnam contra Reum præsumptionem facere, si de diversis actibus diverso tempore factis deponant; & si deponant de diversis actibus, murò tamen se adjuvantibus, possunt non tantum in casibus plenè nonnunquam probare, & etiam in causis criminalibus, ut loquatur de actu suâ naturâ successivâ, & iterabili, & hic testatur se hodie vidisse in tali loco v. g. Titium, alter testatur altero se die in eodem loco vidisse Titium &c. vel si testatur hic, ex oculis suo mo turbatum exire se vidisse Titium, alter testetur vidisse se fugientem Titium. Tertius testetur de oculis & longa inimicitia.

## §. III.

*An, & quando probent testes in se contrarij?*

**N**ihil probant, si duo tantum probentur, & hi sibi invicem contrariantur in suis depositionibus (cùm utriusque pro utraque parte contradicentis non habeatur testis tantum) nisi alter testis in tantum prævaleret alteri dignitate, & vitæ bonitate, ut Juramentum ipsi offerri posset à Judice in supplementum probationis, cùm sapè non tam ad materiam, quàm ad qualitatem testium attendendum sit, & hinc si plures testes probentur

producantur, quorum aliqui pro certo quodam facto deponunt, & contestantur, unus verò his contradicat, non evertit quidem hic plenam probationem à contestibus habitam, si omnes illi fuerint idonei testes, potest tamen hic unus, si multum dignitate ermineat, multum minuire fidem illorum, ut juramento suppletorio locus esse possit. *c. In nostra 32. h. t.* Ex quo cap. etiam habetur, quòd in casu plurium pro utraque parte testium productorum Judex etiam attendere debeat ad qualitates depositionum, qui probabiliora & vero similiora deponant, & in casu aequalium depositionum pro reo in favorabili causa sit pronuntiandum, & universim etiam dici potest, quòd testibus nonnunquam pro una parte productis, qui contradicunt alterius partis testibus, plus credendum sit, veluti si testes unius partis sint melius informati. Secundò, si hi in specie deponant, cum alii tantum deponant in genere. Tertiò, si dicti sui rationem hi reddant, alij verò non. Quartò, si ab honestiore & digniore persona producantur; illi verò à minus digna & vili. Quintò, magis etiam creditur testibus affirmantibus, quam negantibus, si deponant super negativa ad locum, tempus &c. quæ cadunt sub sensum, coarctata.

## §. IV.

*An, & quomodo testes contraria deponentes sint conciliandi?*

Conciliatio hæc testium dissidentium ad Judicem pertinet, qui ita interpretari eorum depositiones debet, si fieri possit, ut de diversis actibus videantur testati fuisse, ad vitandam contrarietatem & perjurium, ut colligitur ex *c. Cum Pirhing. Compend.*

*tu 16. h. t.* (delictum, enim non est facile præsumendum, aut puniendum. *juxta Regul. 2. de Regulis juris*) ita ut testes habeantur singulares, nihil sibi contradicentes, nisi manifesta sit contrarietas *juxta Glossa in c. In nostra 32. V. Adversa. h. t.* Debent autem testes dissidentes sic conciliari, etiam si ex parte una plures eorum sint, quam ex parte altera, quia eadem militat ratio etiam in hoc casu, ita ut in significatione minus propria alterius dictum summi nonnunquam possit, modò talis conciliatio sit probabilis, & non fiat ad effectum condemnationis in criminalibus, neque fiat circa actum non reiterabilem &c.

## §. V.

*An probeat testis varians, vel sibi ipsi contrarius?*

**T**estis varians, qui in judicio summario aut in negotio inquisitionis deposuit, si postmodum in judicio plenario & ordinario diversa deponat, super eodem facto, & coram eodem Judice, quamvis juratus deponat, non valet testimonium *arg. c. Per unam 10. De probat.* Cum enim veritatem se dicturum spondiderit, aut juraverit, contraria autem vera esse non possunt, merito de falsitate suspectum se facit, & nihil probat, si tamen in ejusdem judicij instantia, & inter easdem personas, denuò examinatus testis contrarium dicat ei, quod in alio examine prius dixerat, tum regulariter statuit priore ejus dicto, si utrumque sit judiciali juramento firmatum. *Argu. cit. c. Per unam, & colligitur ex c. sicut 9. h. t.* (Neq; enim in potestate testis debet esse, parti pro qua prius deposuit, postmodum præjudicare, & evertere per negationem

ius, quod prius illi tribuerat) nisi in continenti dictum suum revocet, & corrigat. *Præterea 7. De testibus cogend.* Vel nisi probabilissimam rationem sui erroris afferat, si ex intervallo contrarium deponat; vel nisi prior depositio facta fuisset extra torturam, posterior in tortura, si personæ sint tales, ut fides illis non habeatur extra torturam; vel posterius dictum variis præsumptionibus & conjecturis adminiculatum sit, vel prius dictum in iudicio nullo, aut sine Juramento depositum sit, vel in causa hæresis contrarium dicat posterius, quam prius dixerat.

Quod si verò contrarium dixerat testis extra iudicium illi, quod in iudicio deposuit, regulariter standum est illo, quod in iudicio deposuit, non tantum iuramenti, sub quo in iudicio deposuit, cum extra iudiciale dictum sub nullo iuramento dictum fuerit, sed ad evitandas etiam perjuriorum pœnas, & ob reverentiam iudicij, nisi utraque deposito iuramento firmata esset, aut prima, depositis multis conjecturis & præsumptionibus adminicularetur &c. quamvis prius extrajudiciale dictum multum detrahac iudiciali depositioni, ut in tali casu Iudex sententiam ferre non possit ad depositionem talem iudicalem.

#### SECTIO IV.

### De productione & receptione Testium, eorumque examinatione.

#### §. I.

Quando producendi, & recipiendi sint Testes.

EX dictis jam patet, regulariter quidem & ordinariè producendos ac re-

cipiendos testes esse post litem contestatam, plures tamen esse causas & causas in quibus produci, & recipi possunt etiam ante litem contestatam, pro Tit. 6. dictum, & habetur etiam c. *Colim 34. & e. Significavit 41. h. t.* Postquam tamen casu quo tempore lata sententia testes quidem adhibiti fuerunt, sed nolum super his instrumentum publicum confectum sit, petente eo postmodum pro quo sententia lata est, implorato iudicis officio testes denuò vocari, & depositiones eorum in instrumento publico in scripturam à Notario redigi, ut sumitur ex c. *Albericus 42. h. t.*

#### §. II.

Quoties testes produci possint, & an testes jam alias producti iterum reduci possint in eadem causa?

Regulariter non nisi tres producti testes admitti possunt, quod si eisdem testes, si testificati non dicantur, produci possint iterum, ut in antiquis articulis, vel etiam novis, c. *stientis 46. h. t.* Ex causa tamen publica cum solemnitate legali quarta etiam productio testium dari, & concedi potest. *In causis 15. & c. Ultra 55. h. t.* nec potest per effrenatam testium multitudinem, & multam illorum depositionum lites nimium protrahantur, & ne periculum sit evulgandorum eorum, quæ testes deposuerunt, aut subornationis aliorum, nisi prius quam tertia productio ab utraque parte ulteriori productioni renunciarint: & quamvis quarta productio testium ex causa concedi possit à Iudice, debet tamen pars petens quartam productionem præstare Juramentum, quod attestaciones testium nec sine